



**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

Bruno, Vincenzo

Coloniæ Agrippinæ, 1598

III. De Præsentatione B. Virg.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](#)



DE PRÆSEN-
TATIONE BEATIS-
SIMAE VIRGINIS
MARIAE MATRIS
DEI.

MEDITATIO III.
SCRIPTVR A.

Cant. 8.

SOROR nostra parua, & vbe-
ra non habet, quid faciemus
forori nostræ in die quando
alloquenda est? Si murus est, ædi-
ficemus super eum propugnacu-
la argentea; si ostium est, compin-
gamus illud tabulis cedrinis. Ego
murus & vbera mea sicut turris,
ex quo facta sum coram eo quasi
pacem reperiens.

FIGVR AE.

Ephes. 2. 1. **R**EX Assuerus, cum edicto pu-
blico per omnia regna sua
MAN-

mandasset omnes puellas virgines,
qua specie & pulchritudine ceteris
præstarent ad se adduci; inter eas
quoque oblatas fuit humilis Hester
virgo Hebraea, cuius admiranda
pulchritudo, honestiæ mores ita
placuerent Regi, ut eam elegerit in
sponsam suam, & Reginam.

2. ANNA mater Samuelis, cum i. Reg. 1.
in senectute sua hunc filium preci-
bus à Deo obtinuisse, eum ablacta-
tum, ac trium annorum puerulum
in templo obtulit in ministerium
Dominij.

PROPHETIAE.

AUDI filia & vide, & inclina au. Psal. 44.
rem tuam, & obliuiscere populum
tuum, & domum Patrii tui, & concipi-
scer rex decorum tuum.

2. Adducentur Regi Virgines post eam, ibid.
proxime eius afferentur tibi, afferentur in
letitia & exultatione, adducentur in
templum Regis.

III. ANGELI RITMUS TQ. VIII. 2. In

PSALM

3. In habitatione sancta coram ipso ministeriis.

CONSIDERATIONES.

VETVS & solennis synagogæ consuetudo erat, vt virgines aliquæ & viduæ, quæ ex speciali deuotione æternarum nuptiarum desiderio inflammatae perpetuam continentiam seruare statuissent, in separatum & peculiarem quandam Templici locum qui erat inter altare & sanctuarium recluderentur, vt ibi commodius assiduis orationibus, ieiunijs, alijsque pietatis officijs vitam sanctam religiosamq; instituerent, & facilius pudicitiam suam custodirent, vti legimus in Euangelio fecisse illam B. Annam Phanuelis, quæ nunquam discedebat à templo, ieiunis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Similiter Ioachim & Anna sanctissimi Beatæ Virginis parentes, cum post diuturnam sterilitatem à Deo hoc donum tantopere desideratum obtinuissent, & iam benedicta puella triennis esset, eam Hierosolymam in templum deduxerunt, ibique (vt erant voto obstricti) magna reverentia diuino cultui obtruerunt. Vbi de-

inceps instar Samuelis à Sacerdoti-
bus inter alias sanctas locata & edu-
cata fuit. Quæ oblatio , partim ob
singularem ipsorum parentum eam
offarentium pietatem , partim ob
bonam Virginis oblatæ , deuotam-
que voluntatem , qua seipsam vltro
dedicabat suo creatori , non potuit
non esse Domino gratissima , & si-
mul in cælo nouum & maximum
angelicis illis spiritibus conciliare
gaudium . Si enim tantum gaudium ,
teste Scriptura , in cælo est , de uno
peccatore pænitentiam agente , quan-
tum putamus gaudium existisse hac
die , qua Domino se obtulit illa ,
cuius præsidio & opera tot redi-
mendi , & ad salutem perducendi
erant peccatores . Valde autem con-
ueniens erat illam , quæ electa fuit
vt conciperet Dominum templi , in
templo eiusdem Domini seruitio
consecrari , ibi in sacris litteris in-
strui & sanctis exercitijs pueritiae
suæ annos expendere . Accerte ita
vitam instituit suam in illo loco
sancto , ita omni virtutum studio flo-
ruit , vt non solum sodalibus , sed
alijs omnibus Virginibus , quæ in
nostris templis se Deo consecrant ,

D

& de-

& denique omnibus religiosis illustris & eximium quoddam exemplum extiterit. Nam ab hac matre, & magistra Virginum discunt libentes volentes a primis adolescentiae suis annis amplecti & portare iugum Domini: discunt respuere hugas, & inutilem conuersationem defererere, discunt serio omnia verba sua & facta ad normam perfectae vitae conformare, discunt mundo, amicis & cognatis plenè renuntiare; & voluptates ac noxiā licentiamvitæ sacerdotalis, in studium spiritale, sanctumque Domini cultum commutare. Denique discunt conspectum hominum fugere, ac Deum eiusq; Angelos pra oculis semper habere, omni in loco reuerentiam illis, velut spectatoribus & castitatis suæ conuersationisque testibus, exhibendo.

SECVND O fide dignum est, hanc benedictam puellam, uti ab infantia semper fuit spiritu sancto plena, sic in ea usum quoq; rationis anticipata fuisse. Vnde, ut primum aliquid audire cœpit de Deo creatori suo & intelligere, simul etiam cœpit illum super omnia amare & reuereri, cauereque ne quid vel verbo, vel

opere

opere committeret, quo diuinam
eius Maiestatem offenderet. Postea
verò cùm didicisset, Deum ipsum
f ore mundi Redemptorem, & ex
Virgine nasciturum, tanto amore
accensum fuit cor eius erga ipsum,
vt deinceps aliud neque cogitare,
neque desiderare posset: speciale au-
tem & ardens desiderium habere
cæpit, tantam in vita sua obtinen-
di gratiam vt possit aliquando f ui
Saluatoris & Messiae præsentia, &
pariter purissimæ & augustissimæ e-
ius matri aliqua in re seruire.
Quare in ea amor & studium ca-
ritatis tantum incrementum acce-
pit, vt à prima illa ætate, quem-
admodum piè credi potest in cor-
de suo constituerit, aique etiam
vouerit se perpetuam Virginita-
tem (si ita Deo placuisset) ob-
seruaturam, nec quidquam pro-
prium in hoc mundo possessuram.
Vnde, cum probè nosset quod vo-
tum à parentibus factum esset, dum
ipsam in templo trimulam offer-
rent, ipsaque in animo suo decreuif-
set, & vehementer desiderasset, non
corpore modo, sed etiam corde &
spiritu se dedicare diuinæ voluntati,

76 MEDITAT. DE

perpetuoq; Domini seruitio, ardenti
desiderio flagrabat, ut cito illud præ-
staretur, secumq; identidem verba il-
la repetebat. *Lætatus sum in his, quæ di-*

Psal. 121. *Eta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columba?* ut

celeriter possim auolare, & requies-
cere in loco tabernaculi admirabilis,
in loco sancto Dei? Itaq; cum tempus
aduenisset, quo à religiosis parenti-
bus suis ducta fuit in templum, con-
templare, quo modo sapiens illa
puellula, prudens & humilis illa vir-
guncula incesserit, vultu maturo,
passu graui, brachijs complicatis, o-
culis in terram deiectis, mente autem
erecta in cælum. Ibat, vel potius se-
rebatur desiderij & amoris in Deum
pennis: Si enim amor quo cognatam
famam Elisabeth complectebatur, ef-
fecit ut tanta festinatione per mon-
tana Iudææ discureret, quanta pu-
tamus eam celeritate & velocitate
nunc progressam fuisse, cum non
creaturæ, sed ipsius creatoris & Do-
mini sui amore impelleretur & tra-
heretur? Proxima verò templo cogi-
ta, quanta deuotione, puris oculis,
manibusque in cælum sublatis illa
verba Prophetæ recitarit. *Introibo in*

do-

domum tuam , adorabo ad templum san- *psal. 5.*
ctum tuum in timore tuo . Deinde quan-
ta vi spiritus , sola , à nullo adiuta ,
quindecim Templi gradus ascende-
rit . Nec mirum fuit , tanta facilitate
& celeritate in templum tam altum
euasisse illam , quæ per omnem vi-
tam nulla alia in re se exercuit , quam
in ascendendo de virtute in virtu-
tem ; quæque contemptis omnibus
rebus caducis & terrenis totam
mentem suam , omnesque cogita-
tiones defixas habuit in altitudine
cælorum . Ergo vidisses hic in tem-
plum materiale ingredi templum
magis spirituale & viuum : in quo
templo alio quodam modo magis
sublimi , quam in templo Salomo-
nis , corporaliter habitatura erat ipsa
plenitudo diuinitatis . Vidisses quo-
que in ingressu huius magis veræ
& viuæ arcæ Dei in templum , vt
collocaretur in sanctuario , longe
excellenter ora lætitiae & exultationis ,
& triumphi signa dari in cælo à San-
ctis angelis in conspectu Dei , quam
cum Rex sapientissimus Salomon ,
cum toto populo Israhelitico in-
troduxit arcam testamenti in tem-

D 3 plum,

78 MEDITAT. DE
plum , camque in tabernaculo sub-
alis Cherubin collocauit. Vbi consi-
derare potes , quomodo filius Dei è
sancto propitiatorio humilem vir-
gunculam ab æterno in Matrem ab
ipso electam conspiciens , internis
amoris vinculis eam ad se attraxe-
rit , loquens illi ad cor . *Veni in hor-
tum meum soror mea sponsa , venieleda
mea : ponam in te thronum meum.* Con-
sidera ex alia parte , quomodo sancti
Angeli , quos non latebat dignitas ,
excellensque puritas huius Virginis ,
illam inspicientes de cælis , inter se
dixerint . *Quæ est illa , quæ ascendit ut
virgula summa , ex suauissimis aromatibus
mirrae , & thuris & variis pulueris pi-
gmentarij ?* Erat illa quidem in statu fu-
mi in oculis mundi obscura , omnis
ornamenti , & claritatis mundanæ
contemptrix . Erat etiam virgula ,
non solum ob puerilem ætatem ,
sed quia in oculis suis erat paruula ,
per profundam humilitatem : virgo
parua , sed rectissima , nullo peccato
flexa vel distorta : erat odorifera , &
ex diuersis aromatis , ob rara virtutis
exempla composita . Præcipue
autem reddebat odorem mirrhæ , ob

ant. 5.

Can. 3.

B. VIRGIN E.

79

ob perfectam carnis omniumque
passionum mortificationem : nec
non & thuris, ob suam singularem
deuotionem, & altissimam contem-
plationem . Itaque post oblatam
Domino hanc gratissimam oblatio-
nem, illa quasi oliua fructifera in *Psal. 51*
domo Dei plantata , & diuino spiri-
tu impinguata produxit pulcherri-
mos omnium virtutum fructus, sic-
ut congruebat illi, quæ in suo utero
ipsum Deum concipere debuit. Qua-
re tantum vicit seipsum , & in perfe-
ctione & gratia diuina ~~sousque~~ pro-
fecit , ut breuissimo tempore me-
ruerit esse templum sanctum , & ad-
mirabile, in quo altissimus D E V S
eligeret constituere suam habitatio-
nem.

3. ITAQVE hæc sanctissima Vir-
guncula in sacro illo loco , non so-
lum cum admirabili fructu , sed et-
iam cum singulari animi sui yolup-
tate & consolatione primos ætatis
suæ annos impendit. Erat enim re-
mota ab omni huius mundi strepitu ,
credens se viuere in quodam paradi-
so. Vnde fugiens instar purissimæ
columbæ, quæ desertis locis sordidis

D 4 per;

perfugium suum habet ad tecta sublimia , ut separata non corpore modo , sed etiam mente , ab omnibus curis & rebus terrenis , possit studio virtutum vacare , elegerit in templo , ut fas est opinari , locum reliquis secretiorem , ut ibi in conspectu Dei & Angelorum commodius posset aperire cor suum , & adorare Patrem in spiritu & veritate , maiestiq; pace & quiete conuersari sola cū solo illo in cuius beatificum vultum desiderant Angeli respicere . Hic perpendere potes , quot gemitus inenarrabiles è pectore extraxerit diuinus amor , quo Virgineum illud cor inde à tenera ætate ardebat & languebat ? quot dulces lachrymas ex oculis eius expresserit ? O quæ flammæ illæ esse debuerunt , quas noctu diuque sentiebat in se , quæ les tuniculi ardentissimæ caritatis , quibus Dominus quotidie illam magis magisque attrahebat , & huic suæ speciosæ amicæ vniebat , quam inter mille elegerat , nec ylla interris ea cariorem habebat . Hic considera quam sublimes fuerint eius contemplationes , quam demisse se in

Ocu-

oculis Dei humiliarit, quam ardentia & efficacia desideria habuerit promouendæ imprimis gloriæ creatoris, & salutis animarum, quamque inflammata & affectu plena fuerint verba illa, quibus non modo nubes, sed cælos, & Patris cælestis pectus penetrabat. Vnde siebat ut ob summam voluptatem, & infinitam dulcedinem, quam ex omnium bonorum fonte illo trahebat, omnium rerum, atque adeo sui quoque ipsius oblita sæpe ille verba iteraret. *Quis mihi det te fratrem meum fugientem ubi. Cant. 8..*

ra matris meæ, ut inueniam te foris, & osculer te, ut iam me nemo despiciat. Nullus enim Patriarcharum aut Prophetarum vñquam tam ardenti desiderio aduentus Saluatoris & redemptionis generis humani flagravit, ac hæc pretiosissima Virgo. Unde si sanctus ille senex Simeon ob hoc ipsum desiderium meruit, non solum oculis suis videre, sed etiam tangere & suis brachijs complecti Salvatorem, quid mirum, hanc beatissimam Virginem, quæ sua ignita caritate, non solum superauit illam Simeonis omniumque hominum,

D s sed

82 MEDITAT. DE
sed etiam supremorum Angelorum
charitatem, factam dignam ut non
solum videret, verum etiam in vte-
ro suo cum conciperet, & fieret eius
Mater: utinam fas fuisset alicui vide-
re internos oculos huius virgunculæ;
huius simplicis columbae, quomodo
eos semper habuerit coniectos in cæ-
lum? deinde intellectum illum plus
illuminatum quam ipsorum Cheru-
binorum ac voluntatem illam mul-
to amplius accensam quam Sera-
phinorum. O quomodo penetra-
bant & inflammabant cor sponsi
cælestis? Vnde ille recte dicit de il-
la, *Auerte oculos tuos, quia ipsi me auo-*
lare fecerunt. Et valde bene dixisti.
Domine misericordiam enim potentes fue-
runt oculi sponsæ tuæ, ut te fecerint
auolare de cælo in terram, ex sinu
Patris in uterum & sinum humilis
virgunculæ.

4. I A M verò sigillatim expende
virtutes, mores & exercitia sancta,
in quibus hæc benedicta virgo toto
tempore à quo fuit in templum ob-
lata, usque ad desponsationem cum
Iosepho factam, se exercuit. Et pri-
mo, sicut referunt quidam sacri
doctores, solita erat diem in tres par-
tes

Cant. 1.

Cant. 6.

tes diuidere. In quarum prima se-
cundum consilium Domini , Pri-
mum quærите regnum Dei , à prima au-
rora vsque ad horam tertiam , totam
se dabat exercitijs spiritualibus , tra-
ctans cum Deo , & occupans se in o-
rationibus & contemplationib. san-
ctis . A tertia deinde vsque ad no-
nam pro seruitio templi occupabat
se operibus exercitijsque externis
fæminarum proprijs. Postremo post
horam nonam , sumpto cibo cor-
porali , qui erat admodum simplex
& moderatus , totum reliquum tem-
pus ponebat in lectione sacrarū lit-
terarum ; atque ita intenta erat rebus
diuinis , ut non contemneret huma-
nas , perfectè amplectens vtrumque
officium Marthæ & Magdalenæ .

Vbi considera , quam bene obser-
uarit consilium Prophetæ , Audi filia , Psal. 44.
¶ vide , & inclina aurem tuam , & obli-
uiscere populum tuum , & domum patris
tui . Vide & expende , conferens in
corde tuo audienda , & propter Deum
relieto mūdo , patre & matre , attende
tibi ipsi , nullaq; cogitatione rerū ex-
ternarū sinaste ab eo disiungi . Ma-
gna verè fuit quorundam Sanctorū
deuotio , magnus affect⁹ , quē in Deū;

Matth. 6c.

D 6 diu-

84 MEDITAT. DE
diuinæque res habuere; At virgo
sanctissima deuotionis sensu in
Deum , excelluit omnes quotquot
fuerunt , vel aliquando futuri sunt,
sanctos. Et si Sanctus Paulus , quia à
Deo electus fuit & præparatus in vas
electionis , vt portaret sanctum no-
men eius coram gentibus , Regibus
& filijs Israel , in oratione raptus fuit
in tertium cælum , ybi vidit & audiuit
res tam arcanas , quas non licet homi-
ni loqui , quos affectus , quas mētis e-
leuationes existimamus fuisse huius
diuinæ Virginis , quam D E V S ele-
git & præparauit , vt portaret non
iam nomen Dei , sed ipsum D E V M
carne vestitum in vtero suo san-
ctissimo , vt illi tot annis ministra-
ret , vt toti mundo colendum &
adorandum proponeret? Dubium
igitur non est , quin illa sæpius
Angelorum præsentia , diuinisq; per-
fruitura sit colloquijs quibus mul-
torum mysteriorum , arcanorum-
que cælestium particeps facta sit , li-
cet illa , vt humillima , apud alios
has Domini visitationes dissimu-
larit , repetens intra se verba illa
sponsæ: *Dilectus meus mihi , & ego*
illi.

Cant. 2.

illi. Deinde, quod ad virtutes heroicas attinet, quoniam sanctissima hæc Virgo celebrem illam Dei sententiam per Prophetam enunciatam, *Sancti estote, quia ego sanctus sum,* *Lev. 11.* studiosè legerat; nullus vñquam fuit in mundo, qui tam accuratè, atque illa diuinum hoc mandatum præstiterit. Prima ergo virtutum, in quibus à prima ætatula se exercuit, fuit singularis humilitas, qua nunquam se vlli creaturæ anteposuit, sed seruiuit omnibus, & inferiorem se omnibus reputauit. Huic humilitati coniunxit obedientiam. Nam proprijs parentibus, maioribusque suis ita se subiecit, ita reueritus est, ut nulla in re etiā minima eos offenderit, vel contristaret. Adhèc, dum puellula adhuc esset, tantam prudētiā, moderationemque animi declarauit, ut nihil vñquā puerilevel dixerit, vel egerit, vnde offendī aliquis posset. Præterea in hac fortissima Virgine eminuit super omnes, virtus illa, quæ est victoria nostra, nempe firmissima quædam fidēs: præualuit legis caritatis plenitudo, in qua longe superauit omnes creaturem; eminuit nobilissima virtus iustitiae, stipata excellenti religioni

86 MEDITAT. DE
& pietati in D E V M , & res sacras: e-
minuit quoq; virtus illa, quæ in ter-
ra repræsentat vitam angelicam, hoc
est, summam & perfectam puritatē.
In omnibus etiam aduersis rebus,
fuit robore, & animi constantia plus
quam virili. Fuit & magna ama-
trix paupertatis , nihil proprium
possidens, & de labore manuum sua-
rum viuens : circa vestitum autem
consilium Apostoli sedulo obser-
uans : *Habentes victum , & quibus*
tegamus , his contentissimus . Vnde &
tam sobria & temperans in cibo su-
mendo fuit , vix ut naturæ necessita-
ti faceret satis . In ieunijs & vigilijs
erat admodum assidua , nec ante aut
cibum sumebat , aut requiem oculi
*suis dabat , quam necessitate adi-
geretur . Quare & corpori curando*
vacabat potius , ne sibi consiceret
mortem , quam ut satisfaceret suæ
*cupiditati & sensui . Nunquam ap-
parebat in publico , nisi religio &*
charitas ita postulasset; & tunc qui-
*dem non sine honesto suorum pa-
rentum comitatu prodibat . Fugie-
bat item omnem aspectum & collo-*
*quium hominum : ac denique tan-
to ardore , talique modo omne vir-*
tutis.

i.Tim. 6.

tutis officium præstabat , vt non tam ipsa discere , quam potius alios docere videretur . Talis igitur MARIA ab Euangelista descripta est , talis ab Angelore reperta , talis pro filij DEI matre à Spiritu sancto electa .

5. CONSIDERA illa verba ^{Cant. 8,1} Scripturæ , *Soror nostra paruula est* , quam bene in hanc sanctissimam puellam conueniant ; erat verè paruula corpore , sed animo magna valde . pauci anni ætatis , sed multi sapientiæ & prudentiæ . Itaque dum in hac tenera ætate adhuc esset vnigenitus filius Dei , qui carnem ex ea erat suscepturus , illa è regio gloriæ suæ throno oculis amore plenissimis conspecta , ad ciues cæli dixit . *Soror nostra paruula est* , ubera non habet : quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est ? Vide quam tenerè Dominus hanc humilem virgunculam amarit , non designatus vocare sororem , quæ vix se reputabat dignam nomine ancillæ . Sororem vocat , quia eam iam in sociam suam , & redemptionis mundi cooperatricem elegerat . Vocat quoque sororem , atque si

Domis

88 MEDITAT. DE

Dominus alloqueretur angelos suos.
& rectè, quia MARIA adhuc puella
vitam in terra ducens angelicam,
merito vocari poterat soror angelorum. *Et ubera non habebat*: quia non
dum ad eam ætatem peruerterat, quæ
idonea erat ad concipiendum Salua-
torem, cuius aduentus iam instabat.
Quid ergo faciemus huic sorori nostræ?
quando ab Archangelo Gabriele sa-
lutabitur, quando mysterium Incar-
nationis illi annuntiabitur, quod in
ipsa, ipsiusque interueniente consen-
su debet compleri? *Si murus est, ædifi-
cemus super eum propugnacula argentea.*
Erat re vera hæc optima Virgo inde
ab illo tempore murus solidissimus
opera Spiritus sancti fundatus & fir-
matus. Vnde & Deus super illam æ-
dificauit propugnacula argentea, per-
ficiendo illam in dies in omni sapi-
tia, virtute & gratia, ad expugnandas
inuincibiles & infernales potestates,
ad conterendum caput antiqui calli-
dissimique serpentis. *Si ostium est, in-
quit Scriptura.* Et certe ostium fuit
hæc diuinissima Virgo, fuit porta illa
semper clausa, per quam solus Deus
Saluator mundi transiuit, in carne
veniens ad redimendum genus hu-
manum

manum: fuit quoque ostium illud,
per quod omnes nos aditum & in-
gressum habuimus ad Saluatorem &
iudicem: ostium clementissimum, *Ezech. 44.*
quod omnibus perpetuo patet, ostium
verè cæli, per quod omnis ad nos sa-
lus venit, quodque ingrediuntur o-
mnes, qui ad salutem æternam per-
ueniunt. Si itaque ostium est, compinga-
mus illud tabulæ cedrinis, largitate cari-
tatis, plenitudine misericordiæ, & o-
mni donorum & charismatum cæ-
lestium varietate, ut hac ratione me-
reatur esse regina misericordiæ, ma-
ter gratiæ, peccatorum misericors
aduocata, miserorum refugium, spes
desolatorū & afflitorum, quæ pos-
sit in omnibus ærumnis & necessita-
tibus nobis adiumento & saluti esse.
Considera deinde huius gloriofissi-
mæ Virginis responsum. *Ego murus,*
& yberamea sicut turris, ex quo facta sum
coram eo, quasi pacem reperiens. *Ego sum*
verè murus per virtutum soliditatē,
& animi fortitudinem, perque firmū
propositum, puritatem animi & cor-
poris atque etiam virginitatem per-
petuam semper conseruandi *Et ybe-*
ra mea sicut turris. Recte dixisti bene-
dicta virgo, ybera tua fuisse sicut tur-
rim:

90 M E D I T A T . D E
rim: licet enim vbera corporis adhuc
paruula essent , at vbera animæ tuæ
spiritalia, hoc est, altissima & arden-
tissima desideria gloriæ Dei, aduen-
tus Saluatoris in mundum, & re-
demptionis generis humani, erant
quasi maxima quædam turris in te.
Vnde meruisti apud Dominum pri-
mum iuuenire pacem & gratiam
pro te: nam conformans te totam-
cum voluntate diuina , & arctissi-
mo charitatis vinculo te vnum ef-
ficiens cum dilecto tuo, summa quæ-
dam & tranquillissima pax in ani-
mam tuam redundauit. Inuenisti de-
inde etiam gratiam & pacem pro-
nobis, quia auctorem gratiæ, & i-
psum Deum pacis apportasti, qui est
pax nostra , quia per sanguinem su-
um reconciliando nos Patri , diui-
nam pacem , quæ exuperat omnem
sensem, attulit.

6. C O N S I D E R A denique quo-
modo MARIA fuerit secunda EVA,
quæ fœlicius quam prima, à Deo cre-
ata, tota pulchra & innocens , versa-
batur in Paradiso longe maiori volu-
ptate affluent; ubi non colloqueba-
tur, ut fecit imprudens EVA cū an-
tiquo serpente, nec aures dabat frau-
dulæ.

dulentis eius persuasionibus, sed au-
scultabat, quid Dominus in ipsa lo-
queretur, tota prompta ad obsequē-
dum in omnibus diuinæ eius volun-
tati. Quare & hæc secunda Eua, lögè
maiori iure appellatur mater viuen-
tiū, quippe q̄ ſocili parti ſuo nobis
attulerit vitā: at prima Eua potius vo-
cari potest mater morientium, cum
ſua inobedientia nobis pepererit mor-
tem. Hæc eſt illa Rebecca, illa puella
abſcondita, & hominib⁹ incognita,
& eximia pulchritudine pia ſtās, quæ
à magno illo Patre nōſtro ē multis
fuit electa, & queſita, ac cū multis pre-
tiosis donis oblata, ſola inuēta eſt di-
gna, quæ in ſponsam veri Iſaac vnicī
filij ſui acciperetur. Hæc eſt illa fan-
cta omnibusq; ſeculis celebrata Ju-
dith: quæ ſua singulari prudentia, a-
nimiq; fortitudine caput superbissi-
mi Holofernis principis tenebrarū
reſecuit, qua re populū Dei, & à præ-
ſenti periculo, & à desperatione ſalu-
tis vindicauit. Vnde & optimè in
eam conueniunt laudes à populo
illo huic admirabili vietrici decan-
tatae. *Benedicta es tu filia à Domino Deo
excelſo præ omnibus mulieribus super
terram, tu gloria Hierusalē, tu honor:*

& or.

Iud. 13.

92 MEDITAT. DE

ffib.2.

& ornamentum totius populi. Hæc quoque est illa illustris Esther, æterni Regis delitiae, incredibilis pulchritudinis fœmina, quæ cum multo tempore latuisset, & diligenter custodita fuisset, inter omnes alias Virgines in Reginam electa est; tantamq; gratiam apud diuinam reperit maiestatem, ut toti generi humano liberationem à funesto æternæ mortis decreto impetrarit. Hæc denique est illa vñica & electa sponsa, altissimiq; amica, tanta pulchritudine prædita, ut filiæ Sion ea conspecta beatissimā prædicarint, & Reginæ collaudarint. Virgo verè generosa. Virgo plus à Deo, quam ab hominibus cognita, per quam vetus illud secundum legem Mosaiam virginitatis & sterilitatis opprobrium penitus sublatū est, & antiqua maledictio in benedictionem conuersa. Virgo, quæ præter morem & institutum Legis, sine ullo exemplo prima suam Virginitatem Domino consecravit. Virgo omnibus ijs ornata dotibus, quæ in sapientissimam, religiosissimamque Virginem, & sigillatim in eam, quæ debebat esse mater sui creatoris, maxime competebant. Virgo non iam sterilis,

Cant. 6.

sterilis, sed fœcūda, homini despōsa-
ta, sed à Deo grauidata. Virgo cuius
uterus intumuit sine corruptione,
cuiusque partus editus fuit sine Vir-
ginitatis læsione. Virgo in partu, &
virgo post partum, quæ quidem ha-
buit benedictiones & gaudium Ma-
tris, sed non sensit dolores & damna
matris. Virgo tam illustribus verbis
promissa, tam ardenter desiderata,
tantoque tempore exspectata; ac o-
mni ex parte ita fœlix & perfecta, ut
nulla ei similis, nec ante, nec post re-
perta fuerit. Virgo, quæ ita expleuit
Matris officium ut non solum in se
conseruarit virginitatis ornamen-
tum, verum etiam auxerit, & incredi-
bilem illustrarit. Virgo quæ carnis
integritate, & excellenti mentis puri-
tate, non solum omnes homines, sed
etiam angelos superauit: Nam illam
ipsam puritatem, quam cœlestes spi-
ritus conditione suæ naturæ obtinue-
rant, sanctissima virgo diuina ope
adiuta, suo studio acquisiuit, & in-
violabiliter custodiuit. Virgo hoc o-
mnibus Sanctorum ordinibus altior
& sublimior, tantoque Deo omni-
potenti carior & coniunctior, quanto
fuit ab omni concupiscentiæ ma-
cula

94 MEDITAT. DE

cula, & lege peccati liberior. Virgo
vnica quæ omnium Euangelicarum
Virginum fuit primitiæ, mater &
regina: prima enim fuit, quæ inuenit,
aliosque docuit perfectam continen-
tiam, & quemadmodum in carne
mortali & fragili imitari possemus
cælestium Spirituum puritatem. Vir-
go denique tam sacra, tam pura, &
munda carne, mente, verbis, opere,
& vultu ipso, ut omnes, qui in eam
oculos coniicerent, faceret quodam-
modo Virgines, hoc est, puritatis a-
matores, sic ut Virginitas eius ger-
minaret & produceret Virgines, ho-
minesque corpore & spiritu castos
redderet.

COLLOQUIVM.

O Virgo magistra Virginum, &
Spiritus sancti sacrarum, om-
nium virtutum exemplar & specu-
lum, quæ post triennium adhuc puel-
lula te ipsa obtulisti in templo crea-
tori, odoriferi & gratissimi in stat ho-
locausti: omniumque fœminarum
prima fuisti, quæ perpetuo virginita-
tis voto corpus & animam tuam Do-
mino consecrasti: oro te per hoc sin-
gulare donum, quo Dominus ipse te
ornauit, ut tanto ardore te totam di-
uinæ

uinæ suæ Maiestatis seruitio dedicares, mihi velis impetrare gratiam, vt possim tuo exemplo cor meum omnino diuellere à mundo, parentibus, amicis, omni que rerum terrenarum caducarumque cura, ac totum me diuinæ voluntatis eius beneplacito committere, vt de me statuat, quod ad eius maiorem gloriam, meaque animæ salutem faciat: & simul vt tua opera me semper mundum & purum in anima absque omni concupiscentiæ carnalis macula seruare queam, atque ita merear manibus tuis offerri sacrato illi templo, nempe CHRI-
STO filio tuo in cælesti gloria.

DOCUMENTA.

1. **S**i Mater Dei, quæ ante fuit sancta quam nata, & in gratia ita confirmata, vt nec venialiter peccare potuerit, sacro templo inde à prima ætate inclusa fuit, sic prorsus, vt nunquam inde egredetur, donec diuina voluntate esset Iosepho desponsata: non habent aliæ Virgines, quæ non sunt, vt beatissima Virgo, sanctificata, quod magnopere doleant se esse inclusas, & ab omni hominum conspectu & consuetudine non necessaria remotas: Sic enim erunt securiores.

Contra

96 MEDITAT. DE

Contra verò si liberam vitam agere velint
maximis periculis & bone famae, & salu-
tis animæ se obijcent.

2. Beatisima virgo in templo presesta-
ta est Sanctorum suorum parentum Iosephum
& Annæ manibus, ad præstandum votum,
quod Domino fecerant: à quibus, velut et-
iam à sancta illa Anna Samuelis Prophe-
tae matre, quæ similiter unicum filium Deo
in templo obtulit, exemplum capere debent
omnes Patres & Matres, non solum ut
perfectè prestant, quicquid de filiis Deo
per votum promiserint: scriptū enim est,
Si quid voulisti Deo, ne moreris red-
dere: displicet enim Deo infidelis &
stulta promissio. Sed vehementer quo-
que cauere debent, ne suos filios absterre-
ant, vel impediant, quo minus vota sua,
quæ post annos discretionis ediderunt, ex-
quantur.

3. B. Virgo adhuc puella existens tem-
plo inclusa est, ab omni mundi commercio
separata. Vnde discimus, multum ad insti-
tuendam piam vitam prodesse, si quis ab
ineunte ætate in timore Dei, sanctisque
moribus, à mundanorum conuersatione ab-
stractus fuerit educatus. Nam, ut dicit sa-
piens Salomon, quam quisque vitam in
adolescentia duxerit, ab ea ne in senectute
quidem recedet.

Eccl. 5.

4. Ab

4. Ab hoc sanctissimorum B. Virginis parentum exemplo, debent Patres & Matres salutare documentum capere, ut maximum studium & curam ponant in liberis recte & piè educandis inde à prima infantia, siue id fiat in propria ipsorum domo, siue in alio loco honesto, ubi nullam vilius mali, vel dissolutionis occasionem habeant, sed potius bona exempla habuant, & discant, quatenus viriutes settande, & virtus fugienda sint. Hæc enim præcipua causa est, cur plerique omnes mulieres tam sint leues & dissolutiones, quod è quò mollius & indulgentius in puellari ætate sint tractatæ.

5. Beatissima Virgo, licet esset genere nobilissima, tamen inter prima eius studia & exercitia, quibus ab incunabulis se dedidit, fuere, solitudo, oratio, sacrarum literarum lectio, & manualia opera honestarum mulierum propria. Sicut de ea testatus est Salomon in persona Mulieris fortis tantoperè in Scriptura celebratæ. Quæ sicut lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum, in confusione multarum nobilium, illustriumque hominum nostri sæculi; qui dedecori sibi fore putant, si eorum liberi non instituantur in omnibus mundi vanitatibus. Itaque inter primas artes, quibus illos imbuunt,

E
st

Prov. 31.

100 MEDITAT. DE
est ars tripudiandi, cantandi, instrumenta
musica puljandi, &c. Quare quid mirum,
si eorum filij, postquam inde à pueritia
suxerunt lac mundi, efficiantur, ut eos Do-
minus appellat, filij huius sæculi, pruden-
tia carnali tumidi, sine spiritu, sine deue-
tione, & sine timore Dei.

DE DESPON-
SATIONE BEATISS.
VIRGINIS MATRIS
DEI MARIAE, CVM
JOSEPHO.

MEDITATIO III.
EVANGELIVM.

Matt. 1

CVM esset sponsata mater
IESU MARIA Ioseph,
antequam conuenirent, in-
uenta est in vtero habens de Spi-
ritu sancto.

FIGV.